

PRÆEXERCITAMENTA.

I.

DE Capillamentis dictūri, cum nemine de Etymo Vocabuli digladiabimur, sive quis à Capillis adjecta terminatione *Mentum*, sive ab Adjectivo verbali *Capillatus*, Vocem deduxerit. V. *Lexic. Voss. & Mart.* Illi tamen, qui à τὸ *capite* aut *capillo* & τὸ *velamine* aut *velamento* (q. d. capitis Velamentum, seu Velamen è capillis constans) Capillamenti appellationem conflata existimant, longius ab accuratione grammatica recedere nobis videntur.

II. Circa Homonymiam observandum, quod Capillamentorum nomine aliquando veniant fibræ radicū & seminū: Sic Columella l. 5. *Non solum in eo errabant, quod primi anni Capillamenta seminum intacta patiebantur*; item Cœlius Rhodiginus A. L. 1. 13. c. 32. *Sciendum sepia, loliginis, lolio, capillamenta inesse quadam.* De quibus nunc non agimus. Neque proprie capillamenta sunt, quæ speciem eorum externam referunt, ut *Crocus herba*, de qua Plinius H. N. l. 21. *Herba Croci est folio angusto pene in Capillamenti modum.* Item, quod in signis Medicorum obtutui sese offert: *Obvenire enim quandoque compertum est, ut cum Urina crassa carunculae exiguae, aut veluti Capillamenta exeant*; ait Cœlius Rhodig. l. 18. c. 13. Nec non capillamenta, picta penicillo & oleo veteribus, præcipue calvis, usitata: Turneb. Advers. c. 27. l. 26. Item Capillamenta ex pellibus aut herinaceorum aculeis concinnata, de quibus in *Qvæst. Prima*

non-